

SCRIPTA

Numéro Scripta : 730

Auteur(s) : Pierre de Colmieu, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Le Tréport, Saint-Michel (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1239, 14 janvier

Lieu d'émission : Aumale

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Compromis entre maître Nicolas, curé du Tréport, et les moines du Tréport au sujet de certain offices

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° CLXXIII, p. 192-194.

Texte établi d'après a

P[etrus], miseratione divina Rothomagensis archiepiscopus, universis ad quos littere presentes pervenerint, salutem in vero salutari. Cum contentio verteretur coram nobis, inter abbatem et conventum de Ulteriori Portu, ex una parte, et magistrum Nicholaum, presbiterum ecclesie Sancti Jacobi de Ulteriori Portu, ex altera, super matutinis et duabus missis in Natali Domini et oblationibus earum, et super Tenebris in Septimana penosa, et ablutione in Cena Domini, qua hora debet fieri communiter in aliis parrochiis, et Cruce adoranda et ejus oblationibus, et super servitio in vigilia Pasche et cereo ejusdem vigilie, super custodia olei infirmorum, unctionibus et legatis, super processionibus, pulsatione campanarum ad nonam et ad vespervas, et uno modio bladi, nos, de assensu partium, ordinavimus componendo quod dictus presbiter et ejus successores matutinas, duas primas missas in Natali Domini de cetero parrochianis celebrabunt, et oblationes habebunt earum ; Tenebras cantabunt, Crucem adorare et omne officium in die Passionis Domini in ecclesia sua facient, et oblationes ejusdem diei habebunt ; quod servitium in vigilia Pasche facient ; non pulsabunt, ad Gloria in excelsis, nisi prius pulsetur in abbatia ; denarios cerei communiter cum ministro abbatie colligent, et dicti abbas et conventus medietatem denariorum cerei habebunt de cetero, et dictus presbiter et ejus successores aliam medietatem ; predictus presbiter et ejus successores de cetero custodiam olei habebunt et parrochianos suos inungent, ministro abbatie advocato, si commode possit haberi ; necessitate cogente, ministro autem [non] presente, parrochianos suos inungent ; processiones suas omnes facient ; diebus duplicibus in quibus parrochiani feriabantur, ad nonam et ad vespervas predictus presbiter et successores ejus ante abbatiam non pulsabunt ; in aliis diebus, hora competenti, pulsabunt ; in vigilia beati Jacobi apostoli, et in die, predictus presbiter et ejus successores ad quamlibet horam, pro voluntate sua, pulsabunt. De legatis ita ordinatum est quod, si solum presbitero parrochiali fiant legata, ea solum per se habebit ; si solum fabrice ecclesie sue, fabrica solum per se habebit ; si solum presbitero parrochiali aut fabrice ecclesie sue, insimul ea per se habebunt. Simili modo, de monachis : si aliqua solum fuerint legata monachis, ea per se habebunt ; si fabrice solum eorum monachorum, solum fabrica per se habebit ; si monachis aut fabrice sue ecclesie solum, ipsi solum per se habebunt ; si autem aliqua eis insimul legata fuerint, ea inter se equaliter dividunt ; si autem tam uno quam alio legetur, quilibet

habeat quod sibi legatum fuerit ; si autem presbitero parrochiali plus et monachis minus, inter se equaliter dividant ; si autem monachis plus et presbitero minus, inter se equaliter dividant ; si etiam presbitero parrochiali et fabricae ecclesie sue plus et monachis minus, inter eos equaliter dividatur, ita quod presbiter et fabrica ecclesie sue habeant duas partes et monachi tertiam ; si monachis et fabricae sue ecclesie plus et presbitero minus, equaliter inter eos dividatur, ita quod monachi et fabrica ecclesie sue habeant duas partes et presbiter tertiam. Si vero quis intestatus decesserit, tertia pars partis sue pauperibus erogetur, et due partes presbitero et ecclesie sue et monachis et ecclesie sue communiter et equaliter dividantur. Modium bladi, non de meliori nec de pejori, presbiter predictus et ejus successores ab abbate et conventu, singulis annis, infra festum Omnium Sanctorum, in abbacia percipient. Ad hec autem facienda et fideliter observanda, predictus Nicholaus juramento corporaliter prestito se obligavit, et ejus successores ad hoc, simili modo, tenentur se obligare. Et ut ista firma permaneant, presentem cartam sigilli nostri munimine dignum duximus roborari. Actum apud Albemalliam, in crastino octavarum Epyphanie, anno Domini M°. CC°. XXX°. VIII°.